

HEINSIUS, DANIEL

**Danielis Heinsii Oratio de secunda et  
postrema Pop. : Rom. ætate: et de C. Cornelij  
Taciti utilitate et præstantia...**

Lugduni Batavorum  
1615

# EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



## Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

## Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms\*
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)\*

\* Not available in every eBook.

## Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.

- Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>

## More eBooks

Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>



Sous le n° 89, Willoms décrit un discours de Dan. Heinsius: Oratio de prima Romanorum aetate etc., Lugd. Bat., apud Lud. Sigevinum, 1614, in-4, mais cette pièce-ci, qui en forme le complément, qui est inconnue, ainsi qu'à tous les autres exemplaires. Cet exemplaire est probablement unique; il a été acheté au prix ridicule de 35 centimes.  
Hauteur des marges: 186 mm. G. B. n.




DANIELIS HEINSII

# ORATIO.

De secunda & postrema Pop.  
Rom. ætate : & de C. Cornelij Taciti  
vtilitate & præstantia :

*Habita cum Annales eius publice inter-  
pretaturus esset.*



LVGDVNI BATAVORVM,  
Apud Ludouicum Elzevirium,  
ANNO MD CXXV.

DAMIRIS HENINGAVE

ORATIO

De rebus & personis Po.

Remaneat: de rebus Po.


Remaneat: de personis Po.



Remaneat: de personis Po.  
Remaneat: de rebus Po.  
Remaneat: de personis Po.  
Remaneat: de rebus Po.  
Remaneat: de personis Po.  
Remaneat: de rebus Po.  
Remaneat: de personis Po.  
Remaneat: de rebus Po.  
Remaneat: de personis Po.  
Remaneat: de rebus Po.

MAGNIFICO AMPLISSIMOQUE  
V I R O  
BENIAMINO AVBERIO  
M A V R I E R O,

CHRISTIANISSIMI GALLIARVM ET NA-  
VARRÆ REGI A CONSILIIS , ET AD  
PRÆPOTENTES CONFOEDERATA-  
RVM BELGII PROVINCIARVM  
ORDINES LEGATO.

UPER cum ad Taciti Annales  
aliquid dicendum nobis esset, effe-  
cisti, ut qua nemini fortasse pla-  
citura erant, ea aliquid splendo-  
ris traherent a loco, in quo nihil  
tam conspiciendum erat quam  
quod tu adesses. Hoc quia optime successit nobis,  
& quia spero ea qua libenter omnes tua causa au-  
dierunt, libenter etiam lecturos tua causa, dedi  
typographo ut voluisti, sine ulla mora, & sine  
alia ambitione quam quod tuo nomine abusus  
A ij sum

sum, ut sic commendarem iterum quod scripsi.  
 Magna quidem vestra est dignitas, qua a Maie-  
 state multum trahit, quam vos ijs, ad quos misit  
 estis, exhibetis: mibi tamen ille maximus vide-  
tur, qui mensuram suam totus in se habet, & for-  
tunam quantamcunque animo & meritis exce-  
dit. Quod si cuiquam hodie in Gallia, tibi sane  
 est propositum. Literas & sapientia studia, ita  
 coluisti olim, ut quicumque a summo viuidoq; in-  
 genio progressus expectari possint, eos feceris. Nemo  
 literatus vivit hodie in regno vestro, quo non  
 usus sis familiariter, nulla pars est eruditionis,  
 nullus autor in quo peregrinus sis, nullus genius  
amoenitatis quem non penitus possideas. Ut qui  
 recte te nouerunt, tria maxime diuersa in te ad-  
 mirentur: quod in dignitate publica, privati ho-  
 minis humanitatem, in molestis occupationibus,  
 ociosi eruditionem: in aula, summum sapientiae  
 amorem, coniunxeris. Quae non semel apud om-  
 nes praedicauimus. Nunc cum paulum ocij conce-  
 ditur, ne hoc tibi pereat, reminisceris quae olim di-  
 didicisti, & ad illa studia reuerteris, quae tranquil-  
 litatem dare possunt animo. quam conferre digni-  
 tas & reliqua quae sola sperant homines, non pos-  
 sunt. Hoc est, cum fortuna antecellas ceteros,  
 mente

mente & instituto eam quoque prateris. Eorum plane exemplo qui huc haectenus a Rege vestro missi sunt: quorum nemo fuit, qui non ad supremam eruditionem peruenisset. Nam ut regnum vestrum hac etate palmam eius omnibus eripuit, & ante omnes eam coluit & propagavit, ita omnium postremo retinet, ac ne bellis quidem civilibus ut eam eripiant concedit. Accipe igitur, Vir Maxime, a cliente tuo, quod iam tuum est: accipe quod voluisti: lege, si sit tanti, quod iam audiisti. Et quandoquidem muneribus, hospitio, officijs, comitate omni & benevolentia, me sic obstrictum tibi tenes, ut in nexu adhuc maneam, patere, ut creditorem tam benignum in te habeam, quam patronum haectenus expertus sum.

Lugd. Bat. 6 I O I O C X V. Maij XXIV.




DANIELIS HEINSII

7

# ORATIO

De secunda & postrema Pop. Rom. ætate:  
& de C. Cornelij Taciti vtilitate  
& præstantia:

*Habita cum Annales eius publice inter-  
pretaturus esset.*



QVOD optavi semper, ILLVSTRIS-  
SIME LEGATE, PRÆSES AMPLISSI-  
ME, AVDITORES NOBILISSIMI, EX  
quo Populi terrarum principis  
res gestas ab initijs atq; ab ipsis  
incunabulis, docere ex hoc lo-  
co publice incoepi, vt quæ maxime in rem om-  
nium essent, ea publice a me exponerentur, eius  
nobis rei luculentam esse oblatam credidi occa-  
sionem, ex quo C. Cornelij Taciti Annales,  
opus vere luculentum, percurrere decreui. Cæ-  
terum, ne temere ad scriptorem tantum venire-  
mus, bonum factum esse existimabam, si in Flo-  
ro, nobilissimo autore, initia magistratuum at-  
que ortus, belli leges ac pacis, sanctitates omnes

ac re-

ac religiones, quæ a Rege Romulo ad consula-  
tum C. Marij, intra annos quadraginta nouem  
& sexcentos, omnes prope conditæ atque insti-  
tutæ fuerunt, explicarem serie continuata ac de-  
ducerem. Quæ sequuntur enim vsque ad Augu-  
stum tempora, in ambitione sola occupantur,  
neque quicquam habent noui, præter bella do-  
mestica ac pugnas, quæ non amplius pro liber-  
tate, cum iam hostem Roma vix haberet, sed de  
dominatione gerebantur. Audiuistis ergo tanti  
imperij natales, audiuistis & progressus. quos si,  
vt oportet, repetatis animo, videbitis, ducentis  
annis eo peruenisse Pop. Romanũ, vt nec parem  
sibi nec superiorem haberet. Quicquid enim in  
Romana gente admiramur, quicquid loquitur  
vetustas, quicquid posteritas vix credit, quic-  
quid vix eloquitur historia, subactus Oriens, A-  
frica euerfa, adiecta imperio Europa, inter pri-  
mum bellum Punicum & Iugurthinum euēnit.  
Vt non prius ad fatalem peruenisse magnitudi-  
nem quam ad finem suum properasse nomen &  
majestas vrbis tantæ videatur. Latebat in Italia  
sua, nulli prope cognitus, nullis disciplinis nullis  
artibus excultus, agrestis ille populus, qui a Ti-  
beri atque ab ipsis ciuitatis suæ moenibus paula-  
tim

rim progressus, gentes tantum finitimas domabat: quod a bello autem temporis supererat, in agrorum cultu quisque & paterno prædio ponebat. neque inusitatum erat Dictatori, quæ suprema tum potestas erat, ab aratro ad triumphū, a triumpho ad aratrum redire: maris vero commoda æque ac pericula ignorabant. Siciliam, præter expectationem, proximam Italiæ, & olim continētem, Pœnus inuadit, Romanus sibi vindicat. Rura sua deserit, patriam relinquit, arbores fecat, naues fabricat, mari concreditur. vincit. neque prius desinit, quam in Syria surgenti, in Hispania occidēti occurrat Soli. Perfida Carthago erat: bis superatur, tertio euertitur: disciplinis erudita Corinthus: expugnatur primo, mox incenditur: viribus inuicta Numantia: euertitur ac solo æquatur. Iam autem, vnde sum digressus, primo Punico, qui viri, qui animi, quæ virtutes extiterunt, quantum instar libertatis & ardoris in pectoribus illorum fuit, qui diuulsam ab Italia Siciliam, cum ponte non possent, bello atque audacia iunxerunt? Quis non Appium, Duillium, Atilium, Lutatium, qui in terra sua nati atque educti, cum vix nauem antea vidissent, res in maritantas gesserunt, ex ipsa poëta-

rum Amphitrite, aut e monstro aliquo marino  
genitos fuisse credat? Quis non Q. Cæditium,  
virum fortem atque insuperabilem, qui Leoni-  
den æquauit, quis non Regulum miretur, qui  
post tres & sexaginta naues, oppida ducenta, ca-  
pta atque erepta hosti, captus ipse, quia de Car-  
thagine non poterat, de Fortuna triumphauit:  
qui afflictus omni genere dolorum atq; excru-  
ciatus, resectis palpebris, in machina inclusus,  
constantiam carnifici ac fidem, arma animi ac  
munimenta opposuit, quibus tanquam mœni-  
bus, defensus atq; circumtectus, Pœno quidem  
corpus cōcessit, religiosum autem animum pa-  
triæ ac posteritati consecrauit: victurus ipse,  
quamdiu nominis Romani dignitas vigeat ac  
majestas. Bello autem Punico secundo, cum im-  
mistæ cœlo Alpium nubes, Dijs & hominibus  
inuisum in apertâ Italiam immisissent Anniba-  
lem, quas præter Herculê nemo penetrasse cre-  
debatur, viri cœlestes, & majores semper cum  
Fortunam quoq; prouocarent, spoliata natu-  
rali vallo ac præsidio Italiam, virtute munierunt.  
Spiritus ingentem & exaggeratum, obiecê-  
runt hosti: totam in se Africam ruentem, atque  
in patriæ grassantem viscera, muro fortitudinis  
susti-

sustinuerunt: quisque deniq; cum corpore non posset, Alpes animo æquauit: quisque grauitate, constantia, diuina & fatali quadam generositate, urbem Romam, domicilium imperij & gloriæ, quasi sepimento quodam vndiq; cinxerunt. Post perfractas Alpes, vt e cœlo aduentare videretur hostis, ad Ticinum concurritur: cædit Pœnus, cæditur Romanus. Ticino Trebia succedit, huic Thrasimenus; omnes pari Africæ successu, pari Romanorum clade. diceres Fortunam ipsam sacramento Libyæ dixisse. Post hæc acies ad Aufidum instruitur, & ferales imperio Cannæ tentantur. Alibi ad gaudium & oblectationem, hic vero ad fatietatem hostis, cæsus est Romanus, donec exclamaret ipse, Parce miles ferro. Quadraginta certe millia deleta sunt. Nihil præter animum supererat Romano, & hoc vno, victus corpore ac profligatus, orbi adhuc par erat. Vnum nocuit Annibali, quod victoriam præcipere quam obtinere mallet. E Campania reuersus, libertatis sedem atque Italiæ caput Romam obequitat, & ad portas iam erat. Quid Romanum censes? Ille vero, Italia erepta, vrbe obsessa, inter ploratus foeminarum & vagitus puerorum tota vrbe discurrentium,

vt solet, virtute sua inuolutus atque inclusus,  
 adhuc orbi imminebat: illum tanquam creditor  
 immitis, a Dīs immortalibus promissum sibi de-  
 bitumq; pertinaciter vrgebat. Marcellus in Sici-  
 lia, Scipio in Hispania, ad Capuam vterq; consul  
 res gerebat: quos redire Romam populus veta-  
 rat. Adeo obsessi ac prope expugnati cum essent,  
 liberi tamen & inuicti & in potestate sua erāt, vt,  
 cum tenerentur, hostem se vicisse existimarent,  
 quia non timebant. Intelligebant enim, si quod  
 munimentum potest dari, si quod propugnacu-  
 lū, quod nec aries comminuat, nec ballista fran-  
 gat, nec euertat catapulta, hoc in animo virtuti-  
 bus congesto, exædificandum esse. Eodem illo  
 animo, cum in media Italia haberent Africam,  
 Italia relicta, in Africa Annibalem vicerunt. An-  
 nibalem Philippus, Africam Europa excepit.  
 Græculis eripitur libertas, quæ mox per præco-  
 nem illis redditur. Adeoque inepta gens erat, vt  
 effusi gaudio & immensa voluptate, non senti-  
 rent, libertatem conseruandō tantum possideri.  
 Eam autem a virtute sua cuiq;, non ab hostibus  
 donari. Philippum Antiochus, Asia Europam  
 consequitur. Quæ, si verum volumus fateri, vo-  
 luptate sua atque illecebris, victorem cepit: nec  
 imme-

immerito quis dixerit, Capuam Annibali fuisse Cannas: Asiam Romanis Annibalē fuisse. Hinc argenti cupiditas atque auri, quam cum Attali hæreditate, quasi iussu testatoris, Respubl. accepit. Cuius regnum pariter & bona cum ex testamento cerneret, in lubidinem illius quoq; & auaritiam succēssit. Hæc iam animorum erant vulnera: ea autem sola vrbes & Respublicas euertunt. Nam Annibalis & Pyrrhi, in corpore hærebant. Iam, quod magis admirêris, nulla gens, nulla prope pars terrarum expugnata fuit a Romanis aut subacta, quæ non ad perniciem victoris & interitum Romanæ majestatis aut integritatis aliquid conferret. Græci disciplinas attulerunt, sed cum ijs pariter ambitionem: Asia delicias, sed cum ijs voluptates: omnes simul opes maximas ac copias, sed cum ijs auaritiam. Vt cum homines non possent, spoliati libertate sua & exuti, vitia victorum, orbem victum vindicare atque vlcisci voluisse videantur. Primus omnium Iugurtha, qui in bello Numātino Scipionem fuerat secutus, vafer homo ac versutus, suis posse vitijs Romanum expugnari, callide intellexit. Tanti animi mercator, vt cum spem in ferro non haberet, auro fugam ab exercitu redi-

meret, Senatū vero, tanquā mercem aliquam venalem, donis ac muneribus in partes suas traheret. Ita ille populus, qui ter Africam subegerat, vnius Africani precio conductus est vt vinceretur. ille autem ordo, cuius dignitate Reipublicæ majestas nitebatur, cuius humeris terrarum orbis incumbebat, oblitus sui, libertatis oblitus, nominis Romani immemor ac togæ, bonum publicum, salutem ciuium, emptori pariter & hosti transcripsit. Eodem tempore ambitio erupit. Grauis quippe plebi nobilitas, nobilitati plebs inuisa, de honore inter se ac dignitatibus certabant. Respublica autem, quasi vacua possessio, vnius qui plus posset dominationi & imperio relinquebatur. Nam de libertate ne vacabat quidem cogitare. Hac commoditate vsus primo omnium Marius, homo ruri natus, sed militiæ inuictus, fero autem atque ingenti animo, Syllæ competitor: post hos Cinna & Octavius, tandem Cæsar & Pompeius, ab externis hostibus, in patriam, in ciuitatis suæ vires, bellum & exitium vertere. quisque vrbi suæ id quod Annibal futurus erat, nisi victus esset. Quippe sicut prisca illi duces, castra hostium & oppida, ita isti dominationem vi & armis inuadebant.

debant. Cinna consulatum, Sylla & mox Cæsar dictaturam. Donec lacera Republica, exhausto autem ac defatigato populo, sicut feræ quæ conflictu mutuo domantur, victæ gentes & quæ vicerant, in potentiam vnius concessêre. Cuius quamdiu aliquæ virtutes fuerunt, quales in Augusto erant plurimæ, principatus nomen, quod & populare erat & in libertate a Senatu vsurpatum fuerat; cum iam ipsa interiret, seruitio prætexebatur. Miser quoque populus, non aliter quam pueris cum plorant aut de matre cogitant pupa aut sigillum traditur in manus, quo, cum domi soli relinquuntur, se oblectent, nonnullas adhuc leges & tribunos, si Dîs placet, eo tempore habebat. quorum ius quoque & potestas, per occultam defendendæ libertatis simulationem, dominationi illo principe accessit. Postquam vero omnia vnius, vnus ille omnium flagitiorum atque illecebrarum seruus esse cœpit, dulce illud omnibus, Romano autem proprium (cuius conseruandi causa Brutus Tranquinius, populus Decemuiros, Cinnam milites, fata ipsa ac imperij fortuna, Senones eiecerat,) dulce, inquam, illud quoq; feris ipsis & acceptum libertatis nomen, funditus deletum atq; extinctum est.

Quare

Quare vos quoq; illud nomen, toties iam decantatum, & quæcunque audiuitis hæctenus, delete ex animo, Auditores. Nullos enim Scipiones, nullos Fabios, nullos L. Æmilios, nullos audietis Flamininos. Aures alias adferte: alias adferte mentes. Ad monstra deuenimus. Tiberij, Claudij, Nerones, in scenam producendi sunt. Non iam consulem Romanum, plenum maiestate, grauitate plenum ac constantia, in senatu, de cõmuni bono belli ac domi, de custodia Italiae, de ferendis legibus postremo aut de diuidendis agris, differentem audietis. Non eundem victis domitisq; gētibus, Iouis indutum insignibus, in curru triumphali videbitis sedentem: non ingētia bella, vrbiū euersiones, fusos reges peregrinos ac euersos audietis. Nullas audietis nisi de virtutibus victorias, nullos nisi de prouincijs & ciuibus triumphos. Non Lucretiæ insignem audietis necem, quæ vim passa a Tarquinio & constuprata, cultro eodem viam animæ ac libertati patefecit. Non illustre facinus Virginij, qui cum metus a Decemuirorum seruitute esset, filiam ad Cloacinae, cum non posset iure, ferro in libertatem vindicauit: publicumque dominationis ac lubricinis incendium, cruore virginis restinxit.

Non

Non Catonis generosam illam & sublimem audietis vocem, qui cum adolescens admodum in Syllæ domo, trahi ciues ac torqueri videret, quare Syllam nemo interficeret rogauit, & cum pædagogus a quo ducebatur, eum metui ab omnibus dixisset, cur tu ergo, inquit, mihi gladium ad liberandam patriam non tradidisti? Non eiusdem audietis mortem, qui cum recedentem ab vrbe libertatem videret, neque retinere eam posset, plenus sapientiæ ac instituti sui tenax, animam & viscera Fortunæ in oculos coniecit. Nullos Cassios aut Brutos audietis, qui prædonem libertatis, regni candidatum, ante statuam Pompeij, Dijs patriæ conseruatoribus, tribus & viginti vulneribus mactarunt. Euersam, conditam, sepultam, conclamatam libertatem videbitis. Cum ad delatores præmia bonorum, curæ principum ad foëminas, foëda quæque & abjectissima ad principes transissent: cum Senatus non in leges sed in verba principis iuraret: ipsi quoque consules & equites, ruerent in seruitutem ac festinarent, cum nec vox nec cogitatio propemodum Romani viri esset libera: cum ipsi quoq; gemitus obseruarentur & lachrymæ. nihil auxiliij in amicis, nihil esset fidei: nullum in

propinquis solatium, nulla in necessitudine præ-  
fidia. Cum Seiani, Dolabellæ, Satrij Secundi &  
Pinarij, reliquique perditorum greges hominũ,  
quemadmodum ad aram scelerati solent serui,  
vndiq; confluerent in urbem & in ea grassaren-  
tur. Si quæ essent animæ illustres aut ex prisco  
illo sanguine oriundæ, eas nouercali odio in her-  
ba suffocari extinguique videbitis. In ipso, Au-  
ditores, initio, in ipso introitu, omen pessimum  
videbitis. Claudium Marcellum, vnicam iam  
urbis spem & libertatis, iam Augusti filium, iam  
generum, ostendi populo, mox eripi. Liberos  
Agrippæ, viri maximi, destinatos pridem succes-  
sore, fraude muliebri misere euerti. Nihil enim  
de Germanico nunc dico. Videbitis parentes  
ab exilio retractos, accusari a liberis, matronas  
honestissimas a prostitutis: vrgeri leges scriptas,  
cum naturæ perijsset: intendi maiestatis cri-  
men, cum iam ipsa nusquam esset: aut si esset vs-  
quam, non in Capitolio, terrestri Iouis domici-  
lio, sed in Caprearum lupanaribus, inter exole-  
tos & ignotas ante voluptates iaceret. Videbi-  
tis adiri Principem terrarum, vbi ante quilibet  
Ædilem timuisset, in foedissimo secessu abditũ.  
Ibi Imperator, ibi Pater Patriæ, ibi Pontifex late-  
bat.

bat. Ibi denique Tribunus plebis cum sacris legibus. Adeo vbi vindex libertatis erat, ibi erat causa seruitutis; Dominus & Imperator. In hac ganea demersus, in hoc lustro, cum ab omni honestate recessisset, bonis adhuc eminus exitium struebat. Videbitis vbique aulicas patriciasq; artes & insidias occultas: nihil liquidum, sincerū nihil, nihil sui simile aut vnus formæ: ne dissimulationem quidem. quam præcipue dissimulant qui cætera abscondunt. Vt candore & sinceritate vitium inducāt. Hæc ita docet Tacitus, ita in apertum producit, ita eruit ac detegit, ita ob oculos ponit, vt in animis principum atq; in pectoribus vixisse, & earum cogitationes perlustrasse videatur. Nihil illum latuit, nihil fugit, nihil est quod aut non callide obseruarit, aut non felicissime expresserit: res cum verbis, verba certant cum sententijs. Videbitis orationem sobriã, sed splendidam; dictionibus constrictam, abundantem sensibus. Numquam turget sed assurgit, numquam iacet sed æqualiter excellit, numquam auras captat aut ineptias e schola vibrat, quod tum erat vsitatum, sed oracula e tripode effundit. Quæ non aliter quam fulmen aliquod lectoris animum, præsertim in Republica

versatum, percellunt. Nihil illo grauius, nihil est compressius, nihil castigatius, nihil prudentius, nihil studiosius virtutis. Scelera designat, sed vt ea quiuis excretur, artes docet & ignotas fraudes, sed vt eas quilibet intelligat: pandit denique aulam & aperit, ne quis parum gnarus rerū humanarum circumueniatur. Dignus autor quem cum sceptris suis Principes conseruet ac Reges, quorum sacra & mysteria tam sedulo exponit: dignus qui ab illis ediscatur, quorum nutu terræ ac maria reguntur. Nam vt profanetur ab ineptis, non est metuendum: cum profanos, sibi inuolutus & abstrusus, alio releget. Paucos in consilium admittit, pauci sunt cum quibus contrahit, pauci quibus ad interiora templi sui aditum concedit. Pauci, inquam, &

*quos equus amant  
Iupiter, aut ardens euexit ad aethera virtus.  
Dis geniti potuere.*

Causam quæritis? Etiam hanc poëta vobis addit.

*tenent media omnia sylua.*

Quæ

Quæ sunt istæ, inquietis, syluæ? Sententiæ abruptæ, circumductiones intercisæ, verba paucis vsitata, & erepta Græcis aut a Græco fonte cum iudicio detorta, diligens Thucydidis, scriptoris accurati, sed obscuri sæpe & concisi, more gentis suæ, imitatio: sensus non in ore nati, sed in pectoris recessu, ex profundo rerum humanarum & experientiæ visceribus deprompti. Quare sicut generosi quidam equi, tantum eruditos admittunt fessores, reliquos præcipitant aut calcant, ita imperitos iste & ineptos a se segregat: iudicium requirit. Alexandrum sibi quærit hic Bucephalus. Ad autorem ergo hunc tantum, magno animo, magna alacritate, diligentia, industria ac studio discendi adesse Auditores. Ipsa difficultas nos erigat, salebræ excitent. Ferunt Annibalem, cum in Alpibus caput inter nubes absconderet, nec prospicere a se posset, utroque autem pede in glacie atque in niuibus lapsaret, ubi nemo militum consisteret, præcessisse ubique, & subinde manum hærentibus aut fessis porrexisse: tantus eum ardor gloriæ tenebat, ita æstuabat laudis siti atque ardebat, tantum ut Italiam inuaderet. Nos ut editum doctrinæ templum & honoris ædem teneamus,

mus, labor vllus absterrebit, vlla negligentia auertet? Ecce præeo & manum vobis porrigo. In fronte primaque in acie versabimur. Patentem, si vos viri estis, & diffusum nacti fumus campum: vereregium autorem. In eo si quid inuolutum erit, explicabitur, si quid eruendum ex antiquitate, non parcemus operæ, si quid applicandum ad hoc æuum & hos mores, applicabitur. Non sunt somnia aut nugamenta hominum, aut poëtarum fabulæ, quas vobis explicabimus. Audietis monita illustria, præcepta audietis, quæ vos, vbi semel fuerint impressa animis, ex hoc in quo nunc sedetis loco, in Senatum & in Curiam sequentur. In ea tempora incidistis, quæ feliciora sunt fortasse, non sunt meliora. Nondum obiit Tiberius, adhuc viuit, adhuc regnat, adhuc habitat in aulis. Adhuc machinis ijsdem, probi quatiuntur, animantur improbi, regna euertuntur ac Republicæ: quodque nescio an vlla ætas viderit, pij adhuc principes his artibus tolluntur. quorum capita (o immanitatem!) alij secanda locant, alij, scelesti quidam mancipes atque execrandi, conducunt. Exempla adhuc noua & recentia, duo regna maxima, Gallia ac Britannia, &

eorum

eorum Reges nobis suppeditant. Quorum alter tonitru ab inferis emissum vix effugit : alter amor generis humani , iam in bello totus , totus in Republ. & quod nos in primis tangit, in restituendis disciplinis literisque totus , ab impuro ganeone , sed dissimulatione perfida armato , orbi crudelissime ereptus est. Quam dissimulationem , non ingenia iudicum , non carnicum tormenta , non equuleus & vncus , non diuturni cruciatus , non discerpta ac dilaniata viscera , non flamma , non plumbum artubus infusum , inuenire & producere in apertum potuit : non aliter , quam si in venis terræ , aut in ipsis inferorum faucibus , vnde monstrum hoc prodierat , demersa ac sepulta veritas lateret. Nero , patriæ incendiarius , parricida matris , præceptorum interfector , auriga , citharæodus , gladiator , fossa cinædorum & cloaca , victus delictorum conscientia & amens , mendicauit mortem , nec inuenit percussorem. Marius , Italiæ vastator , nihil amplius quam consularis , militem mactandi sui causa ad se missum , sola vultus reuerentia a se abegit. Ille verus Pater patriæ , ipsa clementiæ imago & natura , terror hostium , vasticies , ac fuga , quos ad-

uentu solo sæpe ac nomine difflauerat ; qui virtutem semper comitem , inter pedisequas Fortunam habuerat , qui procellas omnes ac fatales regni tempestates , maiestate nominis discusserat , prudentia sedauerat , cuius solas cogitationes Oriens atque Occidens tremebat , conscio nemine , multis præsentibus , luce clara , in oculis ciuium , clam tamen confectus est. Qui nunc inter animas beatas , nihil præter Matrem Reginam , admirandæ foeminam prudentiæ , & Successorem suum inuenitur : quem , quod felix sit ac faustum , molem nunc imperij ac pondus suscepisse videt. Faxit autem Deus immortalis , vt priusquam summa ei vitæ appetat necessitas , compos domi omnium ac foris , vindicatum ab externis regnum suum videat. Et quandoquidem hoc tempore est natus , quo non virtus & victoria , sed latrones rerum ac terrarum dominos , fida & dissimulatio , sceptrum & coronas inuadunt , prudentia cum hoste , magnanimitate cum parente suo certet , neque prius sibi nominique suo iam hæreditarium ascendat cœlum , quam Henrico Magno , post memoriam humanam , fortissimo heroi , Augusto , Inui-

cto,

Et, Pio, Inclyto, Felici, qui in animis omnium, quorum interest vt sospes sit & fortunata Gallia, vim ac potestatem tenet numinis, fraude domestica ac dolo per immane scelus atque ineffabile interempto, fuga perduellium ac cladibus parētet: de ijs vero, quos ad summum vsque vitæ spiritum, omnium periculorum ac laborum terra socios ac mari, & æterno (quod in posterum speramus,) foedere coniunctos sibi habuit, quorum excelsissimos animos, Tacitus vbique prædicat, qui cum reliqui seruirent, soli libertatem tuebantur, benigne & frequenter cogitet, vt cœpit. Cuius rei illustrem illum vultum tuum, Beniamine Auberi Mauriere, maxime Legate, in hac terra & in hac prouincia, obsidem certissimum relinquit. Quem cum huic loco, tot præclaris comitatus viris, & in primis, Nobilissimo Amplissimoq; Reginaldo Brederodio, Veenhusiano domino, equite & equestris Ordinis viro, summi Hollandiæ Zelædiæ ac VVestfrisiæ Senatus præfide, commodare es dignatus, neq; aliam ob causam quam ad audiendum me huc venistis, effecisti sane, vt quæ tibi debeamus, cogitatione quidem assequamur, verbis autem & oratione exprimere haud possimus.

# C. CORNELIVS TACITVS

ANNAL. LIB. IV.

## De historiæ suæ argumento.

**I**gitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, ex quibus modis temperanter haberetur, senatusque & optimatum ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum & sapientes credebantur: sic conuerso statu, neque alia rerum facie quam si vnus imperitet, hac conquiri tradique in rem fuerit. quia pauci prudentiâ, honesta ab deterioribus, utilia ab noxijs discernunt: plures, aliorum euentis docentur. ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt. Nam situs gentium, varietates praliorum, clari ducum exitus, retinent ac redintegrant legentium animum: nos seua iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, & easdem exitu causas coniungimus, obuia rerum similitudine & satietate.

F I N I S.

C12

798



[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)